

## JUNON

*Avant la tempête*ĪRA  
JŪNŌNIS

**A**rma virumque **canō**, Trōjæ quī prīmus ab ōrīs  
 Ītaliā, fātō profugus, Lāvīnaque **vēnit**  
 lītora; mult<sup>um</sup> ill<sup>e</sup> et terrīs **jactātus** et altō,  
 vī superum, sævæ memorem Jūnōnis ob ĩram;  
 multa quoqu<sup>e</sup> et bellō **passus**, dum **conderet** urbem,  
**īnferretque** deōs Latiō — genus unde Latīnum,  
 Albānīque patrēs, atqu<sup>e</sup> altæ mœnia Rōmæ.

*Invocation  
à la muse*

Mūsa! mihī causās **memorā**: quō nūmine læsō,  
 quidve dolēns rēgīna deum, tot volvere cāsūs  
 ĩnsīgnem pietāte virum, tot adīre labōrēs,  
**impulerit**? Tantæn<sup>e</sup> animīs cælestibus ĩræ?

Urbs antīqua **fuit** — Tyriī **tenuēre** colōnī:  
 Karthāg<sup>o</sup>, Ītaliā contrā Tiberīnaque longē  
 ōstia, dīves opum studiīsqu<sup>e</sup> asperrima bellī.  
 Quam Jūnō **fertur**, terrīs magis omnibus, ūnam  
 posthabitā coluisse Samō. Hīc illius arma,  
 hīc currus **fuit**; hoc rēgnum, dea, gentibus esse,  
 sī quā fāta sinant, jam tum **tenditque fovetque**.

Prōgeniem, sed enim, Trōjān<sup>o</sup> ā sanguine dūcī  
**audierat**, Tyriās ōlim quæ **verteret** arcēs;  
 hinc populum lātē rēgem, bellōque superbum,  
**ventūr<sup>um</sup>** excidiō Libyæ: sīc **volvere** Parcās.

Id metuēns, veterisque memor Sātūrnīa bellī,  
 prīma quod, ad Trōjam, prō cārīs **gesserat** Argīs —  
 necd<sup>um</sup> etiam caus<sup>æ</sup> ĩrārū, sævīque dolōrēs,  
**exciderant** animō: **manet** altā mente repostum

*Carthage  
doit être  
détruite**Loin de  
Rome*

jūdicium Paridis, sprētæqu<sup>e</sup> injūria fōrmæ,  
et genus invīs<sup>um</sup>, et raptī Ganymēdis honōrēs... 28

Hīs accēnsa super, jactātōs æquore tōtō  
Trōas, relliquiās Dana<sup>um</sup> atqu<sup>e</sup> immītis Achillī,  
**arcēbat** longē Latiō. Multōsque per annōs  
**errābant**, āctī fātīs mari<sup>a</sup> omnia circum. 32  
Tantæ mōlis **erat** Rōmānam condere gentem !

ÆOLUS

**V**ix ē cōnspectū Siculæ tellūris in altum,  
vēla **dabant** læt<sup>i</sup>; et spūmās salis ære **ruēbant**,  
cum Jūn<sup>o</sup>, æternum servāns sub pectore vulnus, 36  
hæc sēcum : « Mēn<sup>e</sup> inceptō dēsistere victam,  
nec poss<sup>e</sup> Italiā Teucrōr<sup>um</sup> āvertere rēgem ?

Quippe **vetor** fātīs ! Pallasn<sup>e</sup> exūrere classem  
Argīv<sup>um</sup>, atqu<sup>e</sup> ipsōs **potuit** submergere pontō,  
ūnius ob nox<sup>am</sup> et furiās Ājācis Oīl<sup>i</sup> ? 40

Ipsa, Jovis rapidum jaculāt<sup>a</sup> ē nūbibus ignem,  
**disjēcitque** ratēs **ēvertitque** æquora ventīs !  
Ill<sup>um</sup> expīrantem, trānsfīxō pectore, flammās 44  
turbine **corripuit**, scopulōqu<sup>e</sup> **īnfixit** acūtō !

Ast ego, quæ dīv<sup>um</sup> incēdō rēgīna, Jovisque  
et soror et conjūnx, ūnā cum gente tot annōs  
bella **gero** ! Et quisquam nūmen Jūnōnis **adōret** 48  
prætere<sup>a</sup>, aut supplex ārīs **impōnet** honōrem ? »

Tālia flammātō, sēcum dea, corde volūtāns  
nimbōr<sup>um</sup> in patriam, loca fēta furentibus austrīs,  
Æoliam **venit**. Hīc, vastō rēx Æolus antrō 52  
luctantēs ventōs, tempestātēsque sonōrās  
imperīō **premit**, ac vinclīs et carcere **frēnat**.  
Ill<sup>i</sup>, indignantēs magnō cum murmure, montis

Junon  
jalouse  
de PallasLe royaume  
des vents

circum claustra **fremunt** ; celsā sedet Æolus arce, 56  
 scēptra tenēns, **mollitqu<sup>e</sup>** animōs et **temperat** irās.  
 Nī **faciat**, mari<sup>a</sup> ac terrās, cælumque profundum  
 quippe **ferant** rapidī sēcum, **verrantque** per aurās.

Sed pater omnipotēns spēluncīs **abdidit** ātrīs, 60  
 hoc metuēns, mōlemqu<sup>e</sup> et montīs īnsuper altōs  
**imposuit**, rēgemque **dedit**, quī foedere certō  
 et premer<sup>e</sup>, et laxās **scīret** dare, jussus, habēnās.

Ad quem tum Jūnō, supplex, hīs vōcibus **ūsa<sup>e</sup> st** : 64 *Prière à Éole*  
 « Æole, namque tibī dīvum pater atqu<sup>e</sup> hominum rēx  
 et mulcēre **dedit** flūctūs, et tollere ventō !

Gēns, inimīca mihī, Tyrrhēnum **nāvigat** æquor,  
 Īli<sup>um</sup> in Ītaliā portāns, victōsque Penātēs : 68  
**incute** vim ventīs, submersāsqu<sup>e</sup> **obruē** puppēs ;  
 aut **age** dīversōs, et **disjice** corpora pontō.

**Sunt** mihi bis septem, præstantī corpore, nymphæ,  
 quārum, quæ fōrmā pulcherrima, Dēiopēa, 72  
 cōnubiō jungam stabilī, propriamque **dicābō**,  
 omnīs ut tēcum, meritīs prō tālibus, annōs  
**exigat**, et pulchrā **faciat** tē prōle parentem. »

Æolus hæc contrā : « Tuus, ō rēgīna, quid **optēs** 76  
 explōrāre labor ; mihi, jussa capessere fās **est**.  
 Tū mihi quodcumqu<sup>e</sup> hoc rēgnī, tū scēptra Jovemque  
**conciliās**, tū **dās** epulīs accumbere dīvum,  
 nimbōrumque **facis**, tempestātumque potentem. » 80

*La tempête*

TEMPESTĀS

**H**æc ubi dicta, cavum conversā cuspidē montem  
**impulit**, in latus. Ac ventī, velut agmine factō,

*Déchaînement*

quā data porta, **ruunt** et terrās turbine **perflant**.

**Incubuēre** marī ; tōtumqu<sup>e</sup>, ā sēdibus īmīs, 84  
ūn<sup>ā</sup> Eurusque Notusque **ruunt**, crēberque procellīs  
Africus ; et vastōs **volvunt** ad lītora flūctūs.

**Īnsequitur** clāmorque virum, strīdorque rudentum.  
**Ēripiunt** subitō nūbēs cælumque diemque 88  
Teucrōr<sup>um</sup> ex oculīs ; pontō nox **incubat** ātra.  
**Intonuēre** poli<sup>i</sup> ; et crēbrīs **micat** ignibus æthēr ;  
præsentemque virīs **intentant** omnia mortem.

Extempl<sup>o</sup> Ænēæ **solvuntur** frīgore membra ; 92 *Lamentation*  
**ingemit**, et duplicīs tendēns ad sīdera palmās,  
tālia vōce **refert** : « Ō terque quaterque beātī,  
quīs ant<sup>e</sup> ōra patrum, Trōjæ sub mœnibus altīs,  
**contigit** oppeter<sup>e</sup> ! Ō Danaum fortissime gentis, 96  
Tȳdīdē ! Mēn<sup>e</sup> Īliacīs occumbere campīs  
nōn potuisse ! Tuāqu<sup>e</sup> anim<sup>am</sup> hanc effundere dextrā !  
sævus ub<sup>i</sup>, Æacidæ tēlō, **jacet** Hector ; ub<sup>i</sup> ingēns  
Sarpēdōn, ubi tot Simoīs, correpta sub undīs 100  
scūta virum galeāsqu<sup>e</sup>, et fortia corpora **volvit** ! »

Tālia jactantī, strīdēns Aquilōne procella *Naufrages*  
vēl<sup>um</sup> adversa **ferit** ; flūctūsqu<sup>e</sup> ad sīdera **tollit**.  
**Franguntur** rēmī ; tum prōr<sup>a</sup> **āvertit**, et undīs 104  
**dat** latus ; **īnsequitur** cumulō præruptus aquæ mōns.  
Hī summ<sup>o</sup> in flūctū **pendent** ; hīs unda dehīscēns  
terr<sup>am</sup> inter flūctūs **aperit** ; **furit** æstus harēnīs.

Trīs Notus abreptās, in saxa latentia **torquet** — 108  
saxa **vocant** Italī, mediīs qu<sup>æ</sup> in flūctibus, ārās :  
dors<sup>um</sup> immāne marī summō. Trīs Eurus ab altō  
in brevi<sup>a</sup> et syrtīs **urget**, miserābile vīsū,

**inlīditque** vadīs ; atqu<sup>e</sup> aggere **cingit** harēnæ. 112

Ūnam, quæ Lyciōs, fidumque **vehēbat** Orontēn,  
ipsius ant<sup>e</sup> oculōs, ingēns ā vertice pontus  
in puppim **ferit** : **excutitur**, prōnusque magister  
**volvitur** in caput ; ast illam ter flūctus ibīdem 116  
**torquet** agēns circ<sup>um</sup>, et rapidus **vorat** æquore vortex.

**Adpārent** rārī nantēs in gurgite vastō,  
arma virum, tabulæqu<sup>e</sup>, et Trōia gaza per undās.  
Jam valid<sup>am</sup> Īlionēī nāvem, jam fortis Achātī, 120  
et quā vectus Abās, et quā grandævus Alētēs,  
**vīcit** hiems : laxīs laterum compāgibus, omnēs  
**accipiunt** inimīc<sup>um</sup> imbrem, rīmīsque **fatīscunt**.

NEPTŪNUS

**I**ntereā, magnō miscērī murmure pontum, 124  
**l**ēmīssamqu<sup>e</sup> hiemem **sēnsit** Neptūnus — et Īmīs  
stāgna refūsa vadīs — graviter commōtus. Et altō  
prōspiciēns, summā placidum caput **extulit** undā.

Une tête  
placide au-  
dessus des  
eaux

Disject<sup>am</sup> Ænēæ, tōtō **videt** æquore, classem, 128  
flūctibus oppressōs Trōas, cælīque ruīnā ;  
nec **latuēre** dolī frātrem Jūnōnis, et Īræ.  
Eur<sup>um</sup> ad sē Zephyrumque **vocat** ; dehīnc tālia **fātur** :

« Tantane vōs genēris **tenuit** fidūcia vestrī ? 132  
Jam cælum terramque, meō sine nūmine, ventī,  
miscēr<sup>e</sup>, et tantās **audētis** tollere mōlēs ?

« Qu'il aille  
se faire  
voir  
ailleurs ! »

Quōs ego... sed mōtōs **præstat** compōnere flūctūs.  
Post mihi, nōn simīlī pœnā, commissa **luētis**. 136

**Mātūrāte** fugam ; rēgīqu<sup>e</sup> hæc **dīcite** vestrō :  
nōn illī imperium pelagī, sævumque tridentem,  
sed mihi sorte datum. **Tenet** ill<sup>e</sup> immānia saxa,  
vestrās, Eure, domōs. Illā sē **jactet** in aulā 140

*Æolus ; et clausō ventōrum carcere rēgnet. »*

Sīc ait ; et, dictō citius, tumid<sup>a</sup> æquora **plācat**,  
collēctāsque **fugat** nūbēs, sōlemque **redūcit**.

*Tombent  
les vents*

Cŷmothoē simul, et Trītōn adnīxus, acūtō  
**dētrūdunt** nāvis scopulō ; **levat** ipse tridentī ;  
et vastās **aperit** syrtīs ; et **temperat** æquor ;  
atque rotīs summās levibus **perlābitur** undās.

144

*Ac velutī magn<sup>o</sup> in populō cum sæpe coorta<sup>e</sup>st  
sēditiō ; sævitqu<sup>e</sup> animīs ignōbile vulgus ;  
jamque facēs et saxa volant — furor arma ministrat ;  
tum, pietāte grav<sup>em</sup> ac meritīs sī forte virum quem  
cōspexēre, silent, arrēctīsqu<sup>e</sup> auribus adstant ;  
ille regit dictīs animōs, et pectora mulcet...*

148

Sīc cūctus pelagī **cecidit** fragor, æquora postquam  
prōspiciēns genitor, cælōqu<sup>e</sup> invectus apertō,  
**flectit** equōs, currūque volāns, **dat** lōra secundō.

152

156

*Après la tempête*

IN  
LĪTORE

**D**ēfess<sup>i</sup> Æneadæ, quæ proxima lītora, cursū  
**contendunt** peter<sup>e</sup>, et Libyæ **vertuntur** ad ōrās.

*Un refuge*

**Est** in sēcessū longō locus : īnsula portum  
**efficit** objectū laterum, quibus omnis ab altō  
**frangitur**, inque sinūs **scindit** sēsē unda reductōs.

160

Hinc atqu<sup>e</sup> hinc vastæ rūpēs ; geminīque **minantur**  
in cælum scopulī, quōrum sub vertice lātē  
æquora tūta **silent**. Tum silvīs scæna coruscīs  
dēsUPER ; horrentīqu<sup>e</sup> ātrum nemus **imminet** umbrā.  
Fronte sub adversā, scopulīs pendentibus, antrum ;  
intus aquæ dulcēs, vīvōque sedīlia saxō :

164

nymphārum domus. Hīc fessās nōn vincula nāvīs  
ūlla **tenent**, uncō nōn **alligat** ancora morsū. 168

Hūc septem Ænēās collēctīs nāvibus, omnī  
ex numerō, **subit**. Ac magnō tellūris amōre  
ēgress<sup>i</sup>, optātā **potiuntur** Trōes harēnā ; 172  
et, sale tābentīs, artūs in lītore **pōnunt**.

Ac primum, silicī scintill<sup>am</sup> **excūdit** Achātēs ;  
**succēpitqu<sup>e</sup>** ignem foliīs ; atqu<sup>e</sup> ārida circum  
nūtrimenta **dedit, rapuitqu<sup>e</sup>** in fōmite flammam. 176  
Tum Cererem, corrupt<sup>am</sup> undīs, Cereāliaqu<sup>e</sup> arma  
**expediunt**, fessī rērum ; frūgēsque receptās  
et torrēre **parant** flammīs, et frangere saxō.

Ænēās scopul<sup>um</sup> intereā **cōnscendit**. Et omnem  
prōspectum lātē pelagō **petit** : Anthea sī quem  
jactātum ventō **videat**, Phrygiāsque birēmīs ;  
aut Capyn ; aut, celsīs in puppibus, arma Caīcī. 180  
*La chasse  
aux cerfs*

Nāv<sup>em</sup> in cōnspectū nūllam. Trīs lītore cervōs  
**prōspicit** errantīs ; hōs tōta armenta **sequuntur**  
ā terg<sup>o</sup> ; et longum, per vallīs, **pāscitur** agmen. 184

**Cōnstitit** hīc ; arcumque manū celerīsque sagittās  
**corripuit**, fīdus quæ tēla **gerēbat** Achātēs. 188

Ductōrēsqu<sup>e</sup> ipsōs primum, capit<sup>a</sup> alta ferentīs  
cornibus arboreīs, **sternit**. Tum vulgus : et omnem  
**miscet**, agēns tēlīs, nemor<sup>a</sup> inter frondea turbam.

Nec prius **absistit**, quam sept<sup>em</sup> ingentia victor  
corpora **fundat** humī, et numerum cum nāvibus **æquet**. 192

DOLOR  
ALTUS

**H**inc portum **petit** ; et sociōs **partitur** in omnēs.  
Vīna — bonus quæ deinde cadīs **onerārat** Acestēs,

*Exhortations*

lītore Trīnacriō, **dederatqu<sup>e</sup>** abeuntibus hērōs — 196  
**dīvidit**, et dictīs mærentia pectora **mulcet** :

« Ō sociī, nequ<sup>e</sup> en<sup>im</sup> īgnārī **sumus** ante malōrum,  
 ō passī graviōra ! **Dabit** deus hīs quoque fīnem.

Vōs et Scyllæam rabiem, penitusque sonantīs 200  
**accestis** scopulōs ; vōs et Cyclōpea saxa  
 expertī : **revocāt<sup>e</sup>** animōs, mæstumque timōrem  
**mittite**. Forsan et hæc ōlim meminisse **juvābit**.

Per variōs cāsūs, per tot discrīmina rērum 204  
**tendimus** in Latium, sēdēs ubi fāta quiētās  
**ostendunt** ; illīc fās rēgna resurgere Trōjæ.  
**Dūrāt<sup>e</sup>**, et vōsmet rēbus **servāte** secundīs. »

Tālia vōce **refert** ; cūrīsqu<sup>e</sup> ingentibus æger, 208 *Restauration*  
 spem voltū **simulat** ; **premit** altum corde dolōrem.

Illī sē præd<sup>æ</sup> **accingunt**, dapibusque futūrīs ;  
 tergora **dēripiunt** costīs, et vīscera **nūdant**.

Pars in frusta **secant**, veribusque trementia **fīgunt** ; 212  
 lītore<sup>e</sup> aēna **locant** āliī, flammāsque **ministrant**.

Tum vīctū **revocant** vīrēs ; fūsīque per herbam,  
**implentur** veteris Bacchī, pinguisque ferīnæ.

Postqu<sup>am</sup> exempta famēs epulīs, mēnsæque remōtæ, 216 *Gémissements*  
 āmissōs longō sociōs sermōne **requīrunt** ;

spemque metumqu<sup>e</sup> inter dubiī : seu vīvere **crēdant**,  
 sīv<sup>e</sup> extrēma patī, nec j<sup>am</sup> exaudīre vocātōs.

Præcipuē pius Ænēās, nunc ācris Orontī, 220  
 nunc Amycī, cāsum **gemit** ; et crūdēlia sēcum  
 fāta Lycī, fortemque Gyan, fortemque Cloanthum.



## VĒNUS

*Intervention des dieux*ĪRA  
VENERIS

**E**t jam finis **erat**, cum Jūppiter, æthere summō,  
 dēspiciēns mare vĕlivolum, terrāsque jacentīs,  
 lītoraqu<sup>e</sup>, et lātōs populōs, sīc vertice cælī  
**cōnstitit**, et Libyæ **dēfixit** lūmina rēgnīs.  
 Atqu<sup>e</sup> illum, tālīs jactantem pectore cūrās,  
 trīstior, et lacrimīs oculōs suffūsa nitentīs,  
**adloquitur** Venus : « Ō quī rēs hominumque deumque  
 æternīs **regis** imperiīs, et fulmine **terrēs** !

224

Jupiter  
interpellé

*Quid meus Ænēās in tē committere tantum,  
 quid Trōes **potuēre** ? Quibus tot fūnera passīs,  
 cūnctus, ob Ītaliā, terrārum **clauditur** orbis !  
 Certē hinc, Rōmānōs ōlim, volventibus annīs,  
 hinc fore ductōrēs, revocātō ā sanguine Teucrī,  
 quī mare, quī terrās omnī diciōne **tenērent** !*

232

Rappelle-  
toi ta  
promesse

*Pollicitus, quæ tē, genitor, sententia **vertit** ?  
 Hōc equid<sup>em</sup> occāsum Trōjæ trīstīsque ruīnās  
**sōlābar**, fātīs contrāria fāta rependēns.  
 Nunc eadem fortūna virōs, tot cāsibus āctōs,  
 īnsequitur. Quem **dās** finem, rēx magne, labōrum ?*

240

Antēnor **potuit**, mediīs ēlapsus Achīvīs,  
 Illyricōs penetrāre sinūs ; atqu<sup>e</sup> intima tūtus  
 rēgna Liburnōrum, et fontem superāre Timāvī...  
 Unde per ōra novem, vastō cum murmure montis,  
**it**, mare prōruptum, et pelagō **premit** arva sonantī.  
 Hīc tamen ill<sup>e</sup> urbem Patavī ; sēdēsque **locāvit**  
 Teucrōr<sup>um</sup> ; et gentī nōmen **dedit** ; armaque **fixit**

244

Vēnus  
jalouse  
Anténor

248

Trōia. Nunc placidā compostus pāce **quiēscit**.

Nōs, tua prōgeniēs, cælī quibus **adnuis** arcem,  
nāvibus (īnfand<sup>um</sup> !) āmissīs, ūnīus ob īram  
**prōdimur** ! Atquē Italīs longē **disjungimur** ōrīs... 252  
Hic pietātis honōs ? Sīc nōs in scēptra **repōnis** ? »

JUPPITER

**O**llī subrīdēns, hominum sator atque deōrum,  
voltū quō cælum tempestātēsque **serēnat**,  
ōscula **lībāvit** nātæ ; dehinc tālia **fātur** : 256

Baisers

« **Parce** metū, Cytherēa : **manent** immōta tuōrum  
fāta tibi ; **cernēs** urb<sup>em</sup> et prōmissa Lāvīnī  
mœnia ; sublīmemque **ferēs** ad sīdera cælī  
magnanimum Ænēan ; neque mē sententia **vertit**. 260

Le destin  
de Rome

Hic tibi (**fābor** enim, quand<sup>o</sup> hęc tē cūra **remordet**,  
longius ; et volvēns fātōr<sup>um</sup> arcāna **movēbō**)  
bell<sup>um</sup> ingēns **geret** Italiā ; populōsque ferōcēs  
**contundet**. Mōrēsque virīs et mœnia **pōnet**, 264  
tertia dum, Latiō rēgnantem, **vīderit** æstās,  
ternaque **trānsierint** Rutulīs hīberna subāctīs.

At puer Ascanius (cuī nunc cognōmen Iūlō  
**additur** : Īlus **erat**, dum rēs **stetit** Īlia rēgnō) 268  
trīgintā magnōs, volvendīs mēnsibus, orbīs  
imperio **explēbit** ; rēgnumquē ab sēde Lāvīnī  
**trānsferet**, et longam multā vī **mūniet** Albam.

Hīc jam ter centum tōtōs **rēgnābitur** annōs, 272  
gente sub Hectoreā ; dōnec rēgīna sacerdos,  
Mārte gravis, geminam partū **dabit** Īlia prōlem.

Inde lupæ fulvō nūtrīcis tegmine lætus,  
Rōmulus **excipiet** gentem ; et Māvortia **condet** 276  
mœnia ; Rōmānōsque, suō dē nōmine, **dīcet**.

Hīs, ego nec mētās rērum, nec tempora, **pōnō** ;

imperium sine fīne **dedī**. Quīn aspera Jūnō,  
 quæ mare nunc terrāsque metū, cælumque **fatīgat**, 280  
 cōnsili<sup>a</sup> in melius **referet**. Mēcumque **fovēbit**  
 Rōmānōs, rērum dominōs, gentemque togātā.  
 Sīc placitum : **veniet**, lūstrīs lābentibus, ætās,  
 cum domus Assaracī Phthīam, clārāsque Mycēnās, 284  
 servitiō **premet**, ac victīs **dominābitur** Argīs.  
**Nāscētur**, pulchrā Trōjānus orīgine, Cæsar :  
 imperi<sup>um</sup> Ōceanō, fāmam quī **terminet** astrīs :  
 Jūlius — ā magnō dēmissum nōmen Jūlō. 288  
 Hunc t<sup>u</sup> ōlim cælō, spoliīs Orientis onustum,  
**accipiēs** sēcūra : **vocābitur** hic quoque vōtīs.  
 Aspera tum positīs, **mītēscent** sæcula bellīs.  
 Cāna Fidēs, et Vesta, Remō cum frātre Quirīnus, 292  
 jūra **dabunt**. Dīræ, ferr<sup>o</sup> et compāgibus artīs,  
**claudentur** bellī portæ. Furor impius intus,  
 sæva sedēns super arm<sup>a</sup>, et centum vinctus aēnīs  
 post tergum nōdīs, **fremet** horridus, ōre cruentō. » 296

Hæc **ait**, et Mājā genitum **dēmittit** ab altō,  
 ut terræ, utque novæ **pateant** Karthāginis arcēs  
 hospitiō Teucrīs, nē fātī nescia Dīdō  
 fīnibus **arcēret**. **Volat** ille per āera magna, 300  
 rēmigi<sup>o</sup> ālārū, ac Libyæ citus **adstitit** ōrīs.  
 Et jam jussa **facit**, **pōnuntque** ferōcia Pœnī  
 corda, volente deō. In prīmīs rēgīna quiētum  
**accipit** in Teucrōs animum, mentemque benīgnam. 304

*Mercurē  
impose aux  
Troyens la  
bienveillance*

*Enée et Vénus*

OBVIA  
VIRGŌ

**A**t pius Ænēās, per noctem plūrima volvēns,  
 ut primum lūx alma **data** <sup>e</sup>st, **exīre** ; locōsque

*Énée et  
Achate  
partent  
chasser*

**explōrāre** novōs ; quās vent<sup>o</sup> **accesserit** ōrās,  
 quī **teneant** (n<sup>am</sup> inculta **videt**), hominēsne feræne, 308  
 quærere **cōstituit** — sociīsqu<sup>e</sup> exācta referre.  
 Classem in convexō nemorum, sub rūpe cavātā,  
 arboribus clausam circum, atque horrentibus umbrīs,  
**occulit**. Ipse ūnō **graditur** comitātūs Achāte, 312  
 bīna manū lātō crispāns hastīlia ferrō.

Cuī māter mediā sēsē **tulit** obvia silvā, Vénus en  
Diane  
 virginis ōs habitumque gerēns, et virginis arma  
 Spartānæ, vel quālis equōs Thrēissa **fatīgat** 316  
 Harpalcē, volucremque fugā **prævertitur** Hebrum.  
 Namqu<sup>e</sup> umerīs dē mōr<sup>e</sup> habilem **suspenderat** arcum  
 vēnātrīx ; **dederatque** comam diffundere ventīs,  
 nūda genū, nōdōque sinūs collēcta fluentīs. 320

Ac prior, « Heus, inquit, juvenēs, **mōnstrāte** ! Meārum  
**vīdistis** sī qu<sup>am</sup> hīc errantem forte sorōrum —  
 succinctam pharetrā et maculōsæ tegmine lyncis —  
 aut spūmantis aprī cursum clāmōre prementem. » 324

MĀTER  
 ET  
 FĪLIUS

**S**īc Venus ; et Veneris contrā sīc filius **ōrsus** : Énée  
reconnaît  
une  
déesse  
 « Nūlla tuārum audīta mihī neque **vīsa** sorōrum...  
 Ō quam tē **memorem**, virgō ? Namqu<sup>e</sup> haud tibi vultus  
 mortālis, nec vōx hominem **sonat** : Ō, dea certē ! 328

An Phœbī soror ? An nymphārum sanguinis ūna ?  
**Sīs** fēlīx ; nostrumque levēs, quæcumque, labōrem ;  
 et, quō sub cælō tandem, quibus orbis in ōrīs  
**jactēmur**, doceās. Ignār<sup>i</sup> hominumque locōrumqu<sup>e</sup> 332  
**errāmus**, vent<sup>o</sup> hūc vastīs et flūctibus āctī :  
 multa tib<sup>i</sup> ant<sup>e</sup> ārās nostrā **cadet** hostia dextrā. »

Tum Venus : « Haud equidem tālī mē **dīgnor** honōre ; Echappatoire

virginibus Tyriīs, mōs **est** gestāre pharetram, 336  
 purpureōqu<sup>e</sup> altē sūrās vincīre cothurnō.  
 Pūnica rēgna **vidēs**, Tyriōs et Agēnoris urbem ;  
 sed finēs Libycī, genus intractābile bellō.  
 Imperium Dīdō Tyriā **regit** urbe profecta, 340  
 germānum fugiēns. Longa <sup>e</sup>st injūria, longæ  
 ambāgēs ; sed summa **sequar** fastīgia rērum.

## Vénus éclaire Énée

AMBĀGĒS



Huīc conjūnx Sychæus **erat**, dītissimus agrī  
 Phœnīc<sup>um</sup>, et magnō miseræ dīlēctus amōre.

Pygmalion  
et Sychée

344

Cuī pater intāctam **dederat**, prīmīsque **jugārat**  
 ōminibus. Sed rēgna Tyrī germānus **habēbat**  
 Pygmalion, sceler<sup>e</sup> ant<sup>e</sup> aliōs immānior omnēs.  
 Quōs inter medius **vēnit** furor. Ille Sychæum 348  
 impius ant<sup>e</sup> ārās, atqu<sup>e</sup> aurī cæcus amōre,  
 clam ferr<sup>o</sup> incautum **superat**, sēcūrus amōrum  
 germānæ. Factumque diū **cēlāvit** ; et ægram,  
 multa malus simulāns, vānā spē **lūsit** amantem. 352

Ipsa sed in somnīs, inhumātī **vēnit** imāgō  
 conjugis, ōra modīs attollēns pallida mīrīs :  
 crūdēlēs ārās, trājectaque pectora ferrō  
**nūdāvit** ; cæcumque domūs scelus omne **retēxit**. 356

Fuite de  
Didon

Tum celerāre fugam, patriāqu<sup>e</sup> excēdere **suādet** ;  
 auxiliumque viæ, veterēs tellūre **rēclūdit**  
 thēsaurōs, ignōt<sup>um</sup> argentī pondus et aurī.  
 Hīs commōta, fugam Dīdō sociōsque **parābat** : 360  
**conveniunt**, quibus aut odium, crūdēle tyrannī,  
 aut metus ācer **erat**. Nāvīs, quæ forte parātæ,  
**corripiunt** ; **onerantque** aurō. **Portantur** avārī

Pygmalionis opēs pelagō : dux fēmina factī. 364

**Dēvēnēre** locōs ubi nunc ingentia **cernis**  
mœnia, surgentemque novæ Karthāginis arcem ;  
**mercātique** solum — factī dē nōmine Byrsam —,  
taurīnō quantum **possent** circumdare tergō. 368  
Sed vōs quī tandem ; quibus aut **vēnistis** ab ōrīs ;  
quōve **tenētis** iter ? » Quærentī tālibus, ille  
suspīrāns, īmōque trahēns ā pectore vōcem :

« Ō dea, sī prīmā repetēns ab orīgine **pergam**, 372 Je suis  
et **vacet** annālīs nostrōr<sup>um</sup> audīre labōrum,  
ante diem clausō **compōnat** Vesper Olympō.  
Nōs Trōjā<sup>a</sup> antīquā — sī vestrās forte per aurīs  
Trōjæ nōmen **iit** — dīversa per æquora vectōs, 376  
forte suā, Libycīs tempestās **adpulit** ōrīs.

**Sum** pius Ænēās, raptōs quī ex hoste Penātēs  
classe vehō mēcum, fāmā super æthera notus.  
Ītaliā **quærō** patriam, et genus ab Jove summō. 380  
Bis dēnīs Phrygium **cōnscendī** nāvibus æquor,  
mātre deā mōnstrante viam, data fāta secūtus ;  
vix septem, convols<sup>æ</sup> undīs Eurōque, **supersunt**.

Ips<sup>æ</sup> ignōtus, egēns, Libyæ dēserta **peragrō**, 384  
Eurōp<sup>a</sup> atqu<sup>e</sup> Asiā **pulsus**. » Nec plūra querentem  
passa, Venus mediō sīc **interfāta** dolōre **est** :

AGNITIŌ



Quisquis **es**, haud, **crēd**<sup>o</sup>, invīsus cælestibus, aurās  
vītālīs carpis, Tyriam quī **advēneris** urbem. 388

**Perge** mod<sup>o</sup>, atqu<sup>e</sup> hinc tē rēgīn<sup>æ</sup> ad līmina **perfer**.  
Namque tibi **reducēs** sociōs, classemque relātam  
**nūnti**<sup>o</sup>, et in tūtum, versīs aquilōnibus āctam —  
nī frūstrā<sup>a</sup> augurium vānī **docuēre** parentēs. 392

**Aspice** bis sēnōs lætantīs agmine cyncnōs,

Vēnus  
aux bons  
augures

ætheriā quōs lāpsa plagā, Jovis āles apertō  
**turbābat** cælō. Nunc terrās ōrdine longō  
 aut caper<sup>e</sup>, aut captās jam dēspectāre **videntur**. 396  
 Ut **reducēs**, illī **lūdunt** strīdentibus ālīs ;  
 et coetū **cinxēre** polum ; cantūsque **dedēre** :  
 haud aliter puppēsque tuæ, pūbēsque tuōrum,  
 aut portum **tenet**, aut plēnō **subit** ostia vėlō. 400  
 Perge mod<sup>o</sup>, et, quā tē **dūcit** via, **dīrige** gressum. »

**Dīxit**, et āvertēns roseā cervīce **refulsit** ; Indignation  
 ambrosiæque comæ dīvīnum vertic<sup>e</sup> odōrem filiale  
**spīrāvēre** ; pedēs vestis **dēflūxit** ad īmōs. 404  
 Et vēr<sup>a</sup> incessū **patuit** dea. Ill<sup>e</sup> ubi mātrem  
**adgnōvit**, tālī fugientem **est** vōce **secūtus** :  
 « Quid nātum totiēns, crūdēlis tū quoque, falsīs  
 lūdis imāginibus ? Cūr dextræ jungere dextram 408  
 nōn **datur**, ac vērās audī<sup>e</sup> et reddere vōcēs ? »

Tālibus **incūsāt**, gressumqu<sup>e</sup> ad moenia **tendit**. Départs  
 At Venus obscūrō gradientēs āere **sæpsit** ;  
 et multō nebulæ circum dea **fūdit** amictū, 412  
 cernere nē quis eōs, neu quis contingere **posset**,  
 mōlīrīve mor<sup>am</sup>, aut veniendī poscere causās.  
 Ipsa Paphum sublīmis **abit**, sēdēsque **revīsīt**  
 læta suās, ubi templ<sup>um</sup> illī, centumque Sabæō 416  
 tūre **calent** āræ, sertīsque recentibus **hālant**.

## DIDON

À Carthage

URBIS  
FASTĪGIA

**C**orripuēre vi<sup>am</sup> intereā, quā sēmita mōnstrat.  
 Jamqu<sup>e</sup> **ascendēbant** collem, quī plūrimus urbī  
**imminet**, adversāsqu<sup>e</sup> **adspectat** dēs super arcēs.  
**Mīrātur** mōl<sup>em</sup> Ænēās, māgālia quondam ;  
**mīrātur** portās strepitumqu<sup>e</sup> et strāta viārum.

Un  
belvédère

420

**Ī**stant ārdentēs Tyriī : pars dūcere mūrōs,  
 mōlīrīqu<sup>e</sup> arc<sup>em</sup> et manibus subvolvere saxa ;  
 pars optāre locum tēct<sup>o</sup> et conclūdere sulcō.  
 Jūra magistrātūsque **legunt** sānctumque senātum ;  
 hīc portūs ali<sup>i</sup> **effodiunt** ; hīc alta theātrīs  
 fundāmenta locant ali<sup>i</sup> : immānīsque columnās  
 rūpibus **excīdunt**, scānīs decor<sup>a</sup> alta futūrīs.

Les  
Tyriens  
au travail

424

428

Quālis apēs, æstāte novā, per flōrea rūra,  
**exercet** sub sōle labor : cum gentis adultōs  
**ēdūcunt** fētūs ; aut cum līquentia mella  
**stīpant**, et dulcī **distendunt** nectare cellās ;  
 aut oner<sup>a</sup> **accipiunt** venient<sup>um</sup> ; aut, agmine factō,  
 īgnāvum fūcōs pecus ā præsēpibus **arcent** :  
**fervet** opus, **redolentque** thymō frāgrantia mella.

432

436

« Ō fortūnātī, quōrum jam mœnia **surgunt** ! »

Ænēās **ait** ; et fastīgia **suspicit** urbis.

**Īnfert** sē sæptus nebulā, mīrābile dictū,  
 per mediōs ; **miscetque** virīs, neque **cernitur** ūllī.

Entrée  
dans la  
ville

440



PICTŪRA  
ĪLIACA

Lūcus in urbe **fuit** mediā, lætissimus umbrā,  
 quō primum jactāt<sup>i</sup> undīs et turbine Pœnī  
 effōdēre locō sīgnum, quod rēgia Jūnō  
**mōnstrārat**, caput ācris equī : sīc nam fore bellō  
 ēgredi<sup>am</sup>, et facilem vīctū, per sæcula gentem.

Le bois de  
Junon

444

Hīc, templum Jūnōn<sup>i</sup> ingēns Sīdōnia Dīdō  
**condēbat**, dōnīs opulent<sup>um</sup> et nūmine dīvæ ;  
 ærea cuī gradibus **surgēbant** līmina, nexæque  
 ære trabēs : foribus cardō **strīdēbat** aēnīs.

448

Hōc primum in lūcō nova rēs oblāta timōrem  
**lēniit** : hīc primum Ænēās spērāre salūtem  
**ausus**, et adflīctīs melius cōnfidere rēbus.

452

Namque, sub ingentī lūstrat dum singula templō,  
 rēgīn<sup>am</sup> opperiēns, dum quæ fortūna sit urbī,  
 artificumque manūs inter s<sup>e</sup> operumque labōrem  
 mīrātur : videt Īliacās ex ōrdine pūgnās,  
 bellaque jam fāmā tōtum vulgāta per orbem,  
 Atrīdās, Priamumqu<sup>e</sup>, et sæv<sup>um</sup> ambōbus Achillem.

Enée voit  
la  
peinture  
de ses  
malheurs

456

Cōnstitit, et lacrimāns, « *Quis jam locus, inquit, Achātē,  
 quæ regi<sup>o</sup> in terrīs, nostrī nōn plēna labōris ?*  
 Ēn Priamus ! Sunt , hīc etiam, sua præmia laudī ;  
 sunt lacrimæ rērum ; et mentem mortālia tangunt.  
 Solve metūs ; feret hæc aliquam tibi fāma salūtem. »

460

Sīc ait, atqu<sup>e</sup> animum pictūrā pāscit inānī,  
 multa gemēns ; largōqu<sup>e</sup> ūmectat flūmine vultum.

464

Namque vidēbat : utī bellantēs Pergama circum  
 hāc fugerent Grājī, premeret Trōjāna juvenus ;  
 hāc Phryges, īnstāret currū cristātus Achillēs.  
 Nec procul hinc, Rhēsī niveīs tentōria vēlīs

Ekphrasis  
des  
fresques  
d'Ilion

468

adgnōscit lacrimāns : prīmō quæ prōdita somnō,  
 Tȳdīdēs multā vāstābat cæde cruentus ;  
 ārdentīsqu<sup>e</sup> āvertit equōs in castra, prius quam  
 472  
 pābula gustāssent Trōjæ, Xanthumque bibissent.

Part<sup>e</sup> aliā, fugiēns āmissīs Trōilus armīs,  
 īnfēlīx puer, atqu<sup>e</sup> impār congressus Achillī,  
 fertur equīs ; currūqu<sup>e</sup> hæret resupīnus inānī,  
 476  
 lōra tenēns tamen. Huīc cervīxque comæque trahuntur  
 per terr<sup>am</sup> ; et versā pulvis īnscrībitur hastā.  
 Intere<sup>a</sup>, ad templum nōn æquæ Palladis ībant  
 crīnibus Īliadēs passīs ; peplumque ferēbant,  
 480  
 suppliciter trīstēs et tūnsæ pectora palmīs :  
 dīva, solō fīxōs oculōs, āversa tenēbat.

Ter circ<sup>um</sup> Īliacōs raptāverat Hectora mūrōs ;  
 exanimumqu<sup>e</sup> aurō corpus vendēbat Achillēs.  
 484  
 Tum vēr<sup>o</sup> ingentem gemitum dat, pector<sup>e</sup> ab īmō :  
 ut spoli<sup>a</sup>, ut currūs, utqu<sup>e</sup> ipsum corpus amīcī,  
 tendentemque manūs Priamum cōspexit inermīs.  
 Sē quoque, prīncipibus permixt<sup>um</sup> adgnōvit Achīvīs,  
 488  
 Ēōāsqu<sup>e</sup> aciēs, et nigrī Memnonis arma.  
 Dūcit Amazonidum lūnātīs agmina peltīs  
 Penthesilēa furēns ; mediīsque in mīlibus ārdet,  
 aurea subnectēns exsertæ cingula mammæ,  
 492  
 bellātrīx ; audetque virīs concurrere virgō.

*Accueil des Troyens*

TEUCRŌRUM  
 ALIŌS

**H**æc dum Dardani<sup>o</sup> Ænēæ mīranda **videntur**,  
 dum **stupet**, obtūtūqu<sup>e</sup> **hæret** dēfīxus in ūnō :  
 rēgīn<sup>a</sup> ad templum, fōrmā pulcherrima Dīdō,  
 496  
**incessit**, magnā juvenum stīpante catervā.

*Arrivée des  
 compagnons  
 d'Enée*

Quālis, in Eurōtæ rīpīs aut per juga Cynthī,  
**exercet** Dīāna chorōs ; quam mīlle secūtæ,  
 hinc atqu<sup>e</sup> hinc **glomerantur** Orēades. Illa pharetram 500  
**fert** umerō, gradiēnsque deās **superēminet** omnīs :  
 Lātōnæ tacitum **pertemptant** gaudia pectus.

Tālis **erat** Dīdō ; tālem sē læta **ferēbat**  
 per mediōs — īnstāns operī, rēgnīsque futūrīs. 504  
 Tum foribus dīvæ, mediā testūdine templī,  
 sæpta armīs, soliōque altē subnīxa **resēdit**.

Jūra **dabat** lēgēsque virīs, operumque labōrem  
 partibus **æquābat** jūstīs ; aut sorte **trahēbat**, 508  
 cum subit<sup>o</sup> Ænēās, concurs<sup>u</sup> accēdere magnō  
 Anthea Sergestumque, **videt** — fortemque Cloanthum,  
 Teucrōrumque aliōs : āter quōs æquore turbō  
**dispulerat**, penitusqu<sup>e</sup> aliās **āvexerat** ōrās. 512

**Obstipuit** simul ipse, simul percussus Achātēs,  
 lætitiāque metūque : avidī conjungere dextrās  
**ārdēbant** ; sed rēs animōs, incōgnita, **turbat**.  
**Dissimulant** ; et nūbe cavā **speculantur** amictī : 516  
 quæ fortūna virīs, classem quō lītore **linquant**,  
 quid **veniant** ? Cūnctīs nam lēctī nāvibus **ībant**,  
 ōrantēs veni<sup>am</sup>, et templum clāmōre **petēbant**.

Postqu<sup>am</sup> intrōgress<sup>i</sup>, et cōram data cōpia fandī, 520 *Indignation*  
 maximus Īlioneus, placidō sīc pectore, **coepit** :  
 « Ō Rēgīna — novam cui condere Jūppiter urbem,  
 jūstitiāque **dedit** gentīs frēnāre superbās —  
 Trōes tē miserī, ventīs mari<sup>a</sup> omnia vectī, 524  
**ōrāmus** : **prohibe** īnfandōs ā nāvibus ignīs,  
**parce** piō gener<sup>i</sup>, et propius rēs **aspice** nostrās.  
 Nōn nōs, aut ferrō Libycōs populāre Penātīs,

**vēnimus**, aut raptās ad lītora vertere prædās. 528

Nōn ea vīs animō, nec tanta superbia victīs !

Est locus — Hesperiam Grāi cognōmine **dīcunt** :

terra antiq̄ua, potēns armīs atque ūbere glēbæ.

Ænōtrī **coluēre** virī ; nunc fāma : minōrēs 532

Ītaliā dīxisse, ducis dē nōmine, gentem.

Hic cursus **fuit**...

cum subit° adsurgēns flūctū, nimbōsus Orīōn

in vada cæca **tulit**. Penitusque, procācibus austrīs, 536

perqu° undās, superante salō, perqu° invia saxa,

**dispulit**. Hūc paucī vestrīs **adnāvimus** ōrīs.

Quod genus hoc hominum ? Quæv° hunc, tam barbara, mōrem

**permittit** patria ? Hospitiō **prohibēmur** harēnæ : 540

bella **cient** ; prīmāque **vetant** cōsistere terrā.

Sī genus hūmān<sup>um</sup> et mortālia **temnitis** arma,

at **spērāte** deōs memorēs fand<sup>i</sup> atque nefandī.

« Rēx **erat** Ænēās nōbīs, quō jūstior alter, 544

nec pietāte fuit, nec bellō mājor et armīs.

Quem sī fāta virum **servant**, sī **vēscitur** aurā

ætheriā, nequ° adhūc crūdēlibus **occubat** umbrīs,

nōn metus. Officiō nec tē certāsse priōrem 548

**pœniteat**. **Sunt**, et Siculīs regiōnibus, urbēs

armaque, Trōjānōque ā sanguine clārus Acestēs :

quassātam ventīs **liceat** subdūcere classem,

et silvīs aptāre trabēs, et stringere rēmōs, 552

(sī **datur** Ītaliā, sociīs et rēge receptō,

tendere) ut Ītaliā lætī Latiumque **petāmus**.

Sīn absūmpta salūs, et tē, pater optime Teucrum,

pontus **habet** Libyæ, nec spēs jam **restat** Īūlī : 556

at freta Sīcaniæ saltem sēdēsque parātās,

und° hūc advectī, rēgemque **petāmus** Acestēn. »

Les  
demandes  
des  
Troyens

Tālibus Īlioneus ; cūnctī simul ōre **fremēbant**  
Dardanidæ.

560

BONAM  
DĪDŌNEM

**T**um breviter Dīdō, vultum dēmissa, profātur :  
« Solvite corde metum, Teucrī, sēclūdite cūrās.

Didon  
propose  
son aide

Rēs dūr<sup>a</sup> et rēgnī novitās mē tālia cōgunt  
mōlīr<sup>i</sup>, et lātē fīnīs custōde tuērī.

564

Quis genus Æneadum, quis Trōjæ nesciat urbem,  
virtūtēsque virōsque, aut tant<sup>i</sup> incendia bellī ?

Nōn obtūs<sup>a</sup> adeō, gestāmus pectora Pœnī,  
nec t<sup>am</sup> āversus equōs, Tyriā Sōl jungit ab urbe.

568

Seu vōs Hesperiam magnam, Sāturniaqu<sup>e</sup> arva,  
sīv<sup>e</sup> Erycis fīnīs, rēgemqu<sup>e</sup> optātis Acestēn :  
auxiliō tūtōs dīmītt<sup>am</sup>, opibusque juvābō.

Vultis et hīs mēcum pariter cōnsīdere rēgnīs ?

572

Urbem quam statuō vestra<sup>e</sup> st ; subdūcite nāvīs :  
Trōs Tyriusque mihī, nūllō discrīmin<sup>e</sup> agētur.

Atqu<sup>e</sup> utinam rēx ipse, Notō compulsus eōdem,  
adforet Ænēās ! Equidem per lītora, certōs  
dīmītt<sup>am</sup>, et Libyæ lūstrāre extrēma jubēbō,  
sī quibus, ējectus, silvīs aut urbibus errat. »

576

Hīs anim<sup>um</sup> arrēctī dictīs, et fortis Achātēs  
et pater Ænēās jamdūd<sup>um</sup> ērumpere nūbem  
ārdēbant. Prior, Ænēān compellat Achātēs :

580

« Nāte deā, quæ nunc animō sententia surgit ?

Omnia tūta vidēs, classem sociōsque receptōs.

Ūnus abest, mēdi<sup>o</sup> in flūctū quem vīdimus ipsī  
submersum ; dictīs respondent cētera mātris. »

584

Vix ea fātus erat, cum circumfūsa repente  
scindit sē nūbēs ; et in æthera pūrgat apertum.

Restitit Ænēās ; clārāqu<sup>e</sup> in lūce refulsit,

588

Epiphanie  
d'Énée

ōs umerōsque deō similis. Namqu<sup>e</sup> ipsa decōram  
 cæsariem nātō genetrīx, lūmenque iuventæ  
 purpure<sup>um</sup>, et lætōs oculīs adflārat honōrēs.  
 Quāle manūs addunt eborī decus, aut ubi flāvō  
 argentum, Pariusve lapis, circumdatur aurō.

592

Tum sīc rēgīn<sup>am</sup> adloquitur, cūnctīsque repente  
 imprōvīsus, ait : « Cōram, quem quæritis, adsum,  
 Trōjus Ænēās, Libycīs ēreptus ab undīs.

596

Ō sōl<sup>a</sup> infandōs Trōjæ miserāta labōrēs !

Quæ nōs, rēliquiās Danaum — terræque marisque  
 omnibus exhaustōs jam cāsibus, omni<sup>um</sup> egēnōs,  
 urbe, domō — sociās ! Grātēs persolvere dīgnās  
 nōn opis est nostræ, Dīdō, nec quicquid ubīque<sup>e</sup> st  
 gentis Dardaniæ, magnum quæ sparsa per orbem.

600

Dī tibi — sī qua piōs respectant nūmina, sī quid  
 usquam iūstitia<sup>e</sup> st, et mēns sibi cōnscia rēctī —  
 præmia dīgna ferant. Quæ tē tam lætā tulērunt  
 sæcula ! Quī tantī tālem genuēre parentēs !

604

In freta dum fluvīi current, dum montibus umbræ  
 lūstrābunt convexa, polus dum sīdera pāscet :  
 semper honōs nōmenque tuum laudēsque manēbunt,  
 quæ mē cumque vocant terræ. » Sīc fātus, amīcum  
 Īlionēa petit dextrā, lævāque Serestum ;  
 post aliōs, fortemque Gyan, fortemque Cloanthum.

608

612

*Didon envoûtée*

IN RĒGIA  
 TĒCTA

**O**bstipuit prīm<sup>o</sup> aspectū Sīdōnia Dīdō,  
 cāsū deīnde virī tant<sup>o</sup> ; et sīc ōre locūta<sup>e</sup> st :  
 « Quis tē, nāte deā, per tanta perīcula cāsus  
 īnsequitur ? Quæ vīs immānibus applicat ōrīs ?

616

Teucros  
 et les  
 Troyens

Tūn<sup>e</sup> ill<sup>e</sup> Ænēās, quem, Dardaniō Anchīsæ,  
 alma Venus Phrygiū genuit Simoëntis ad undam ?  
 Atqu<sup>e</sup> equidem Teucrum meminī Sīdōna venīre,  
 fīnibus expulsū patriīs, nova rēgna petentem  
 auxiliō Bēlī. Genitor tum Bēlus opīmam  
 vāstābat Cyprum ; et victor diciōne tenēbat.

620

Tempore j<sup>am</sup> ex illō, cāsus mihi cognitus urbis  
 Trōjānæ, nōmenque tuum, rēgēsque Pelasgī.  
 Ips<sup>e</sup> hostis, Teucrōs īnsīgnī laude ferēbat,  
 sēqu<sup>e</sup> ort<sup>um</sup> antīquā Teucrōr<sup>um</sup> ab stirpe volēbat.  
 Quār<sup>e</sup> agit<sup>e</sup> ō, tēctīs, juvenēs, succēdite nostrīs.  
 Mē quoque per multōs similīs fortūna labōrēs  
 jactāt<sup>am</sup>, hāc dēmum voluit cōsistere terrā.  
 Nōn īgnāra malī, miserīs succurrere discō. »

624

628

Sīc memorat ; simul Ænēān in rēgia dūcit  
 tēcta ; simul dīvum templīs indīcit honōrem.

632

Le palais  
royal

Nec minus intereā sociīs ad lītora mittit  
 vīgintī taurōs, magnōr<sup>um</sup> horrentia centum  
 terga suum, pinguīs centum cum mātribus agnōs,  
 mūnera lætitiamque dī.

636

At domus interior rēgālī splendida luxū  
 īnstruitur ; mediīsque parant convīvia tēctīs :  
 arte labōrātæ vestēs, ostrōque superbō ;  
 ingēns argentum mēnsīs, cælātaqu<sup>e</sup> in aurō  
 fortia facta patrum : seriēs longissima rērum  
 per tot ducta virōs antīqu<sup>a</sup> ab orīgine gentis.

640

Ænēās — nequ<sup>e</sup> enim patrius cōsistere mentem  
 passus amor — rapid<sup>um</sup> ad nāvīs præmittit Achātēn :  
 Ascaniō ferat hæc, ipsumqu<sup>e</sup> ad mœnia dūcat.  
 Omnis in Ascaniō cārī stat cūra parentis.

644

Enée  
mande  
Ascagne

Mūnera prætere<sup>a</sup>, Īliacīs ērepta ruīnīs,  
 ferre jubet : pallam sīgnīs aurōque rigentem, 648  
 et circumtextum croceō vĕlāmen acanthō :  
 ōrnātūs Argīv<sup>ae</sup> Helenæ, quōs illa Mycēnīs,  
 Pergama cum peteret, inconcessōsque hymenæōs,  
 extulerat, māt̄ris Lēdæ mīrābile dōnum ; 652  
 prætereā scēptr<sup>um</sup>, Īlionē quod gesserat ōlim,  
 maxima nāt̄arum Priamī, collōque monīle  
 bācāt<sup>um</sup>, et duplicem gemmīs aurōque corōnam.  
 Hæc celerāns, iter ad nāvēs tendēbat Achātēs. 656

DĒ  
 BIBENDŌ  
 AMŌRE

**A**t Cytherēa novās artēs, nova pectore **versat** *Substitution*  
 cōnsilia : ut faciem mūtātus et ōra Cupīdō  
 prō dulc<sup>i</sup> Ascaniō **veniat** ; dōnīsque furentem  
**incendat** rēgīn<sup>am</sup> ; atque ossibus **implicitet** ignem. 660  
 Quippe domum **timet** ambiguam Tyriōsque bilinguīs :  
**ūrit** atrōx Jūn<sup>o</sup>, et sub noctem cūra **recursat**.  
 Erg<sup>o</sup> hīs āligerum dictīs **adfātur** Amōrem :  
 « Nāte, meæ vīrēs, mea magna potentia sōlus, 664  
 nāte, patris summī quī tēla Typhōea temnis :  
 ad tē cōnfugi<sup>o</sup> et supplex tua nūmina poscō.  
 Frāter ut Ænēās pelagō tuus, omnia circum  
 lītora, jactētur odiīs Jūnōnis inīquæ : 668  
 nōta tib<sup>i</sup> ; et nostrō doluistī sæpe dolōre.  
 Hunc Phœnissa tenet Dīdō ; blandīsque morātur  
 vōcibus. Et vereor quō sē Jūnōnia vertant  
 hospitia : haud tantō cessābit cardine rērum. 672  
 « Quōcircā caper<sup>e</sup> ante dolīs, et cingere flammā  
 rēgīnam, meditor : nē quō sē nūmine mūtet,  
 sed magn<sup>o</sup> Ænēæ mēcum teneātur amōre.  
 Quā facer<sup>e</sup> id possīs, nostram nunc accipe mentem : 676  
 Rēgius, accītū cārī genitōris, ad urbem



Sīdōniam puer īre parat, mea maxima cūra,  
 dōna ferēns, pelag<sup>o</sup> et flammīs restantia Trōjæ.  
 Hunc ego sōpītum somnō, super alta Cythēra 680  
 aut super Īdaliū, sacrātā sēde, recondam :  
 nē quā scīre dolōs mediusv<sup>e</sup> occurrere possit.  
 Tū faci<sup>em</sup> illius, noctem nōn amplius ūnam,  
 falle dol<sup>o</sup> ; et nōtōs puerī puer indue vultūs : 684  
 ut, cum tē gremi<sup>o</sup> accipiet lætissima Dīdō,  
 rēgālīs inter mēnsās, laticemque Lyæum,  
 cum dabit amplexūs atqu<sup>e</sup> ōscula dulcia fīget,  
 occultum īnspīrēs ignem ; fallāsque venēnō. » 688

**Pāret** Amor dictīs cāræ genetrīcis ; et ālās 689 *Ensortellement*  
**exuit** ; et gressū gaudēns **incēdit** Īūlī.  
 At Venus Ascaniō placidam per membra quiētem  
**inrigat** ; et fōtum gremiō, dea **tollit** in altōs 692  
 Īdaliæ lūcōs, ubi mollīs amāracus illum  
 flōribus, et dulc<sup>i</sup>, adspīrāns, **complectitur** umbrā.  
 Jamqu<sup>e</sup> **ībat** dictō pārēns ; et dōna Cupīdō  
 rēgia **portābat** Tyriīs, duce lætus Achātē. 696  
 Cum **venit**, aulæīs jam sē rēgīna superbīs  
 aur<sup>ā</sup> **composuit** spondā, mediamque **locāvit**.  
 Jam pater Ænēās et jam Trōjāna Juventus  
**conveniunt**, strātōque super **discumbitur** ostrō. 700  
**Dant** famulī manibus lymphās ; Cereremque canistrīs  
**expediunt** ; tōnsīsque **ferunt** mantēlia villīs.  
 Quīnquāgint<sup>a</sup> intus famulæ, quibus ōrdine longam  
 cūra penum struer<sup>e</sup>, et flammīs adolēre Penātīs. 704  
 Cent<sup>um</sup> aliæ, totidemque parēs ætāte ministrī,  
 quī dapibus mēnsās **onerent** et pōcula **pōnant**.  
 Nec nōn et Tyriī, per līmina læta frequentēs,  
**convēnere** ; torīs jussī discumbere pictīs. 708

**Mīrantur** dōn<sup>a</sup> Ænēæ ; **mīrantur** ĭūlum,  
flāgrantisque deī vultūs, simulātaque verba,  
pallamqu<sup>e</sup> et pictum croceō vĕlāmen acanthō.

Præcipuē ĭnfĕlĭx, pestī dĕvōta futūræ, 712  
explĕrĭ mentem **nequit** : **ārdĕscitque** tuendō  
Phœniss<sup>a</sup> ; et pariter puerō dōnĭisque **movĕtur**.  
Ill<sup>e</sup>, ubi complexū Ænēæ collōque **pependit**,  
et magnum fals<sup>i</sup> **implĕvit** genitōris amōrem, 716  
rĕgĭnam **petit**. Hæc oculĭs, hæc pectore tōtō  
**hæret** ; et interdum gremiō **fovet**, ĭnscia Dīdō,  
**ĭnsīdat** quantus miseræ deus. At, memor ille  
mātris Acīdaliæ, paulāt<sup>im</sup> abolĕre Sychæum 720  
**incipit** ; et vĭvō **temptat** præverter<sup>e</sup> amōre  
jam prīdem residēs animōs, dĕs<sub>u</sub>ĕtaque corda.

Postquam prīma quiēs epulĭs, mĕnsæque remōtæ, 724 *Libations*  
crātĕrās magnōs **statuunt** ; et vĭna **corōnant**.  
**Fit** strepitus tĕctĭs ; vōcemque per ampla **volūtant**  
ātria. **Dĕpendent** lychnĭ laqueāribus aur<sub>e</sub>ĭs  
incĕns<sup>i</sup>, et noctem flammĭs fūnālia **vincunt**.  
Hĭc rĕgĭna gravem gemmĭs aurōque **poposcit**, 728  
**implĕvitque** merō pateram — quam Bĕlus et omnēs  
ā Bĕlō solitĭ. Tum facta silentia tĕctĭs :

« *Juppiter — hospitibus nam tē dare jūra loquuntur —*  
*hunc lætum Tyriūsque diem, Trōjāque profectĭs,* 732  
*esse velĭs ; nostrōsqu<sup>e</sup> hūjus meminisse minōrēs.*  
*Adsit lætitiæ Bacchus dator, et bona Jūnō ;*  
*et vōs, Ō, cœtum, Tyriū, celebrāte faventēs. »*  
**Dīxit**, et in mĕnsam laticum **libāvit** honōrem ; 736  
prīmaque, libātō, summō tenus **attigit** ōre.  
Tum Bitiæ **dedit** increpitāns : ill<sup>e</sup> impiger **hausit**

spūmantem pater<sup>am</sup> ; et plēnō sē **prōluit** aurō.

Post aliī procerēs ; Citharā crīnītus Iōpās 740

**personat** aurātā, **docuit** quem maximus Atlās.

Hic **canit** errantem lūnam, sōlisque labōrēs ;

und<sup>e</sup> hominum genus et pecudēs ; und<sup>e</sup> imber et ignēs ;

Arctūrum pluviāsque Hyadas geminōsque Triōnēs ; 744

quid tant<sup>um</sup> Ōceanō **properent** sē tinguere sōlēs

hībernī ; vel quæ tardīs mora noctibus **obstet**.

**Ingeminant** plausū Tyriī ; Trōesque **sequuntur**.

Nec nōn et variō noctem sermōne **trahēbat** 748

īnfēlīx Dīdō ; longumque **bibēbat** amōrem :

multa super Priamō rogitāns ; super Hectore multa ;

nunc quibus Aurōræ **vēnisset** filius armīs,

nunc quālēs Diomēdis equī, nunc quantus Achillēs. 752

« Imm<sup>o</sup> **ag<sup>e</sup>**, et ā prīmā **dīc**, hospes, orīgine nōbīs

īnsidiās, **inquit**, Danaum, cāsūsque tuōrum,

errōrēsque tuōs. Nam tē jam septima **portat**,

omnibus errantem terrīs et flūctibus, æstās. » 756

## Table des matières

### Junon

#### Avant la tempête

##### *Īra Jūnōnis*

Invocation à la muse.....	1
Carthage doit être détruite.....	1
Loin de Rome.....	1

##### *Æolus*

Junon jalouse de Pallas.....	2
Le royaume des vents.....	2
Prière à Éole.....	3

#### La tempête

##### *Tempestās*

Déchaînement.....	3
Lamentation.....	4
Naufrages.....	4

##### *Neptūnus*

Une tête placide au-dessus des eaux.....	5
« Qu'il aille se faire voir ailleurs ! ».....	5
Tombent les vents.....	5

#### Après la tempête

##### *In lītore*

Un refuge.....	6
Barbecue sur la plage.....	6
La chasse aux cerfs.....	6

##### *Dolor altus*

Exhortations.....	7
Restauration.....	7
Gémissements.....	7

### Vénus

#### Intervention des dieux

##### *Īra Veneris*

Jupiter interpellé.....	9
Rappelle-toi ta promesse.....	9
Vénus jalouse Anténor.....	9

##### *Juppiter*

Baisers.....	10
Le destin de Rome.....	10
Mercure impose aux Troyens la bienveillance.....	11

#### Enée et Vénus

##### *Obvia virgō*

Énée et Achate partent chasser.....	11
-------------------------------------	----

Vénus en Diane.....	12
<i>Māter et filius</i>	
Énée reconnaît une déesse.....	12
Echappatoire.....	12
<b>Vénus éclaire Énée</b>	
<i>Ambāgēs</i>	
Pygmalion et Sychée.....	13
Fuite de Didon.....	13
Je suis Enée.....	13
<i>Agnitiō</i>	
Vénus aux bons augures.....	14
Indignation filiale.....	14
Départs.....	15

## Didon

### À Carthage

<i>Urbis fastīgia</i>	
Un belvédère.....	16
Les Tyriens au travail.....	16
Entrée dans la ville.....	16
<i>Pictūra īliaca</i>	
Le bois de Junon.....	16
Énée voit la peinture de ses malheurs.....	17
Ekphrasis des fresques d'Ilion.....	17

### Accueil des Troyens

<i>Teucrōrum aliōs</i>	
Arrivée des compagnons d'Enée.....	18
Indignation d'Ilionée.....	19
Les demandes des Troyens.....	20
<i>Bonam Dīdōnem</i>	
Didon propose son aide.....	20
Epiphanie d'Énée.....	21
Bénédictions.....	21

### Didon envoûtée

<i>In rēgia tēcta</i>	
Teucros et les Troyens.....	22
Le palais royal.....	22
Énée mande Ascagne.....	23
<i>Dē bibendō Amōre</i>	
Substitution.....	23
Ensorcellement.....	24
Libations.....	25